Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1547
Quelle:
Copyright:

Stafa. *Stegerrif.*
Ragabia. *Slougriumo.*
Arfilun. *Satelpogo.*
Sarga uel ueſtido. *Roc.*

Multa hic Etymologis diſpicienda, qui malent Nomenclatorem hunc *Italobarbarum*, quam *latinum* dicere; ita ſe produnt Voces *Tomajo*, *Calza*, *Cucitura*, *Staffa*, *Arcione*, *Sargia* &c. Incertum tamen, an ſibi haec *Italus* in *Germania*, an *Germanus* in *Italia* connotarit ſaltem Sec. XII.

IX. *fol.* 237. Collectio quaedam Precationum ad Angelos, *Chriſtum* et B. V. *Mariam* Sec. XIV. ſcripta.

X. *fol.* 242. p. 2. Absque titulo Tractatus *de Memoria artificiali*, praecipue de uſu *Locorum*, eodem Sec. ſcripta, et incipiens: *Memoria eſt duplex ſcilicet naturalis et artificialis. Vnde memoria naturalis eſt alicuius ſenſus apprehenſio* (apprehenſi) *iterata reſumpcio* &c. Inter plures, qui olim hoc litus ararunt, haud facile eſt Noſtrum adpellare.

DCLXI.

R. 3332 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 38. f. min. charactere craſſo perſcriptus et rubricis diſtinctus continet I. *Librum de miſeria hominis*, cujus Prologus incipit: *Domino patri Reuerendiſſimo. Petro portuſienſi* (l. *portuenſi*) *epiſcopo Lotharius indignus diaconus gratiam in preſenti* &c. Egi de hoc Opuſculo *Vol.* I. P. 1. *col.* 852. et P. 2. *col.* 2130. item hoc etiam *Vol.* II. ut *Index* docet. In Prologo rite legitur: *dignitatem* (non *vilitatem*) *humane nature chriſto fauente deſcribam.*

Fol. 30. ſequitur Tractatus de VII. Vitiis Capitalibus nullo Titulo vel Autore, qui init: *Vidi beſtiam aſcendentem de mari habentem capita VII. cornua X. Beſtia hec diabolus eſt a uaſtando ſic dicta* &c. De ſingulis vitiis ſpeciatim agit; tertium tamen, *Superbia*, cum ſua membrana excidit. Ignoro Autorem; ſed parum ſane promittit, qui *beſtiam* deducit a *Vaſtando.*

Fol. ult. habetur Brevis Adnotatio: *De IV. doloribus, quos mali paciuntur in morte*, quorum 1) ex anguſtia corporea, 2) ex liberiore intuitu animae, 3) ex acriore ejus judicio, 4) ex occurſu malorum ſpirituum.

DCLXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 97 XIV. Folior. 99. 8. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas commode perſcriptus, rubricis diſtinctus, et, ut in calce notatur, *pro libraria collegij ducalis* olim datus a M. *Paulo Troppawer de Vienna*, quem in *Locheri Speculo Acad.* ad ann. 1417. et 29. Facult. Philoſoph. Decanum invenio, ſequentia continet: I. *In chriſti nomine. Incipit liber de miſeria humane condicionis. Editus a lotario diacono. Cardinali ſanctorum ſerij* (Ser-